

De militia D. Johannis de Zuccula.

Anno Domini M. CC. LXXXV. in Festo omnium Sanctorum D. Johannes de Zuccula cum Francisco de Orzono facti sunt Milites per D. Albretum Comitem Goritiæ apud Civitatem in prato juxta Stinirvellam, D. Raymundo Patriarcha Aquilegiensi nolente facere eos Milites; eo quod fecerat Franciscum prædictum denunciari excommunicatum occasione mortis Soneschalchi sui, qui interfectus fuerat in Civitate ut supra. Cui militiæ interfuerunt Virsingen. Feltren. & Concordien. Episcopi, & Albertus Comes Goritiæ, Girardus de Camino, de Prata, de Porciliis, Castello, Spengimberch, Villalta, Glemona, Pramperch, Cucanea, Utino, & alii Domini fere de Castris Forojulii universis, & etiam Theotonici quamplures. Quæ Curia duravit octo diebus..... & curiales interfuerunt bene quingenti.

De electione Præbendariorum, Petri de Orsaria, & Niculussii Civitatenfis.

Anno Domini M. CC. LXXXVI. Indictione XIV. die Lunæ secundo intrante Septembri, in Capitulo Majoris Ecclesiæ S. Mariæ Civitatis Austriæ per Dominos, Bernardum Decanum, & alios Canonicos Civitatenfes, tunc ibidem vocatos & congregatos solito more, primo sunt electi sive creati Petrus de Orsaria nepos D. Martini dicti..... & Niculussius filius quondam Meynarducci de Civitate in Præbendarios secundum ordinationem cujusdam Magistri Pizoli Canonici Civitatenfis, ad dicendum singulis diebus horas Beatæ Mariæ in Ecclesia Majori Civitatenfi apud aram. Videlicet, quod Vesperas dicere debeant, dum Vesperæ pullantur ad Vesperas communes Dominorum: & post Matutinas Dominorum, sive communes immediate dicere debeant de Beata Maria Matutinas, Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam. Qui Magister Pizolus in suo Testamento ordinavit & statuit, de bonis suis emenditus trium Marcharum ad usum Curiae Præbendariorum supradictis. Qui Præbendarii illas Præbendas habere debeant usque ad XX. seu XXVI. sive usque ad XXVII. annos suæ ætatis a nativitate ipsorum, & non ulterius. Quæ tunc aliis conferantur sub dicta conditione, & forma. Et insuper tali conditione, quod si non facerent, & non dicerent, ut deberent, seu vitam ducerent inhonestam; Decanus, & Capitulum ipsos privare valeant Præbendis præfatis, & aliis ad hoc idoneis illas conferre. Item quod Mansi, seu possessiones reddituum dictarum Præbendarum esse debeant sub protectione & regimine Capituli, & specialiter in officio Clavigeri Capituli; qui redditus memoratos debitis & congruis temporibus conduci faciat in claustrum Canonicorum: & ibidem illos dictis Præbendariis per illos, qui eisdem redditus solvere debuerunt, assignari faciat, & persolvi.

De mutatione Monetæ.

Anno Domini M. CC. LXXXVII. Indictione XV. die Lunæ decimo intrante Martio in Civitate Austriæ fuit ex præcepto Rev. Patris D. Raymundi Patriarchæ Aquilegiensis, voce præconis, publice proclamatum: quod Moneta, quæ publice pro nova currebat, deberet dari & accipi pro nova usque ad diem Jovis vicesimum intrante Martio, & ex tunc pro antiqua tantum.

De exercitu in Istria contra Justinopolitanos.

Die Dominico prædicto anno VIII. intrante Junio, ivit Venerabilis Patriarcha Raymundus a Civitate ad Montemfalconem; ubi eodem die conven-

nit ad eum maxima multitudo militum, Equitum, & Peditum, de toto Forojulii, Carnea, & Cadubrio. Ita quod a XVIII. annis supra usque ad septuagesimum annum omnes præscripti fuerunt præter servos, & homines ministerii. Et de Civitate, Utino, Glemona, & aliis Burgis sex homines de scriptis præscriptæ ætatis miserunt unum Peditem: de Villis vero decem miserunt unum Peditem ad dictum exercitum.

Convenit etiam ad dictum exercitum Dominus Comes Goritiæ cum sua gente, & omnes fautores Domini Patriarchæ, & Domini Comitis de Istria, & Sclavonia: & D. Meynardus Dux Carinthiæ & Comes Tyrolensis misit in auxilium Domini Comitis Goritiæ fratris sui, & Ecclesiæ Aquilegiensis Venerabilem Patrem Dominum Episcopum... cum multitudo maxima militum, Equitum, & Peditum. Prædictus exercitus roncavit, & destruxit vineas Justinopolitanorum, & eorum labores: & subsequenter obsedit Castrum Mucon; & cum non posset illud habere, illo relicto, reversi sunt. Et pervenit exercitus ad Montemfalconem die Lunæ in Vigilia Beatæ Mariæ Magdalene, scilicet undecimo exeunte Julio.

De Domino Brisa Episcopo Tergestino.

Anno Domini M. CC. LXXXVII. die Sabbati XII. exeunte Aprili, fuit D. Brisa de Top, Canonicus Civitatenfis, confirmatus in Episcopum Tergestinum per Venerabilem Patrem D. Raymundum Patriarcham Aquilegiensem.

De captione Marani per Venetos.

Anno M. CC. LXXXVII. die Mercurii XIII. exeunte Junio, captum fuit Maranum per Venetos: die autem septimo intrante Julio subsequenter relicto, & spoliatum fuit per Venetos, & occupatum per D. Articum de Castello.

De confirmatione Sororum S. Clare.

Anno Domini M. CC. LXXXVII. Indictione XV. die Dominico XIX. intrante Octubri, auctoritate Cardinalis, qui præest Ordini S. Clare, per F. Petrum Visitatorum Sororum Ordinis S. Clare, & præsentem F. Ministri Ordinis Fratrum Minorum confirmatæ sunt Sorores S. Clare apud Austriam Civitatem: & datus est eis habitus, & regula S. Clare.

De eclipsi Lunæ.

Anno Domini M. CC. LXXXVII. Indictione XV. die XII. exeunte Octobri in nocte sequenti, luna XII. secundum Aureum numerum, fuit Eclipsis lunæ circa mediam noctem: & visa tunc fuit sanguinei coloris.

De impositione XX. solidorum impositorum cuilibet Manso, & rotæ Molendinorum in Forojulii.

Anno Domini M. CC. LXXXVII. Indictione XV. in Mense Octubri, impositi fuerunt per D. Raymundum Patriarcham, de voluntate & assensu Cleri & laicorum de Forojulii, XX. solidi cuilibet Manso, & rotæ Molendinorum in Forojulii, pro assoldandis Equitibus & peditibus contra Venetos & Justinopolitanos in subsidium Tergestinorum, & aliorum quorundam de Istria, fautorum Ecclesiæ Aquilegiensis.

De Abbatissa Monasterii S. Clare.

Anno M. CC. LXXXVIII. Indictione I. die V. intrante Februario, venit Civitatem ad Monasterium